



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Mariae Virginis Sacratiss. Miracvlorvm Libri Tres

Vismara, Ercole

Mediolani, 1579

Mirac. Virg. XXXII. Valde salutaris res est ijs, qui in carcerem conclusi sunt,
Virginem implorare.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64305](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64305)

spulerat. Ad nutum ergo Virginis statim tempestas
sedata est; & maris fluctus compositi sunt. Vbi con-
sumpta nocte, serena dies illuxit; ad eum portum, ad
quem iter habebant, se ad pullos uident.

MIRAC. VIRG. XXXII.

*Valde salutaris res est ijs, qui in carcerem conclusi sunt,
Virginem implorare.*

Miles, qui diu in teterrimo carcere fuerat, so-
luta ingenti pecunia, in leniorem missus est,
ubi à custodib. catenis reuinctus custodie-
batur. Noctù dum in illor. medio esset, pro salute sua
quàm potuit sanctissimè Virginem precatu est. Pa-
ullò post hanc uocem in somnis audiuit: Virgini con-
fide; te ipsa hinc eximet. Somno excitus, secum co-
gitabat, uerum ne illud esset, an somni falsa imagi-
ne illuderetur. Interim, cum paullulum corpus leui
motu declinasset; alteram manum, ac pedem uincu-
lis dissolutum uidet. Solutis somno custodib., & ipsis
diuinitus omnis uis fuit sublata. Videns captiuus il-
lud diuino miraculo accidere; somno iterum oppres-
sis custodib., altero pede adhuc catena impedito, at-
tritis linteis, restis uice utens, è specula se dimisit.
Eum postea maximo comitatu illi a tergo persequen-
tes, minimè potuere adsequi. Adepta ille libertate,
templum adiens, quas secum adtulerat catenas, &
uincula, propè seruatricis Virginis facellum defixit.